

nem spectavit, rudera, ruinae, & hinc inde fati-
scientia moenia ostenduntur. Cum autem ille sub
Rege Henrico Primo dignitate excidisset, quod
à Roberto Normannia Duce contra Regem ste-
terit, Rex hunc Honorem Stephano Comiti Bononiensi donavit, qui postea Rex Angliae usu
fructuarius, filio Guilielmo *VVarenia* Comiti re-
liquit. Cum autem ille in expeditione Tholosa-
na periisset, Reges ipsi occuparunt, donec Rex
Richardus Primus Henrico ejus nominis quinto
Brabantiae, Lotharingiae Ducum nepti Ste-
phani Regis è filia (quæ Monialis fuerat) deder-
it. Longo post tempore cum jam ad Reges An-
gliae recidisset, Edwardus Tertius Roberto de
Vfford Suffolcia Comiti (ut accepi) contulit. Nec
tacendum *Bedingfeld* in proximo, quod claræ & ve-
tustæ familiae nomen indidit, quæ plurimum clari-
tatis ab hærede familiae de *Tudenham* accepit.
Inde per *Flixton* pro *Felixton*, à Fœlice primo Epi-
scopo, ut multa alia in hoc agro, denominatum;
ad *Bungey* decurrit *VVaveney* fluvius, & quadam-
modo circumfundit, ubi castrum & arte, & na-
tura firmavit Hugo *Bigod* cum seditionum quasi
tempestate Angliam agitarent seditionis Barones.
De quo quasi inexpugnabili ille gloriari solitus,

VVere I in my Castle of Bungey

Vpon the river of Waveney,

I would ne care for the king of Cockeney.

Nihilominus postea, ne deleretur, grandi pecunia, & obsidibus datis ab Henrico Secundo redemit. Inde haud multum à ripa, *Mettingham* cernitur, ubi in planicie castrum quadratum, & in eo Collegium extruxit loci Dominus Ioannes cognomine de *Norwich*, cuius filiam & tandem familiae hæredem Robertus ille de *Vfford* Suffolcia Comes in matrimonium cum lauta hæreditate accepit.

Iam *VVaveney* mare propius accedens, dum du-
plicem in Oceanum viam sibi frustra molitur,
alteram cum Gariene fl. alteram per lacum *Lu-*
thing, peninsulam efficit non exiguum, quam alii
Lovingland, alii *Luthingland* verius vocant. A *Luthing*
lacu longo & diffuso, qui à littore Oceani orsus in
Gariensem fl. emititur. In cuius ingressu *Leſtoffe*
angustius oppidulum mari impendet, in exitu *Gorl-*
ston, ubi diruti cenobioli turrim vidimus, quæ ali-
cubi est usui navigantibus. Introrsum ad Gari-
ensem sedet *Somerley*, habitatio olim, ut mihi retuler-
runt, *Fitz-Oſberti*; à qua ad equestrem & claram fa-
miliam *Ierneganorum* devenit. Superius, ubi *Garienis*
& *VVaveney* aquas commiscent suas, *Cnoberi* burg, id est, (interpreti Beda) *Cnoberi* urbs floruit, nos
Burghcaſtell hodie vocamus. *Quod* (ut inquit Be-
da) *sylvarum* & maris vicinitate amoenissimum erat ca-
strum, in quo monasterium à *Furſeo* Scoto extrectum, cu-
jus suauis Sigebertus Rex Orientalium Anglo-
rum vitam monasticam amplexatus se regno ab-
dicavit, qui postea ex hoc monasterio invitus ex-
tractus, ut suis animum in prælio contra Mercios adderet, una cum suis interiit. Nunc eo loci
solummodo sunt lacera moenia, quadrata quasi
forma, è silice & lateribus Britannicis constru-
cta, omniaque vepribus & dumis obliterata, inter
quæ Romanorum numismata subinde eruuntur:
adeo ut ex munimentis illis videatur, quæ ad
Saxonum piraticam propulsandam ad *Garie-*
Britannia.

Liber In-
quisitio-
num.

Beding-
feld.

Flixton.

Bungey.

Mettin-
gham.

Luthing-
land.

Leſtoffe.

Somerley.

Cnoberi
urbs.

nem flumen statuerunt Romani: vel potius ipsum
GARIANONVM, ubi *Stablesiani* Equites statio-
nem habuerunt.

Comites & Duces habuit Suffolcia variis fa-
miliis. Sunt recentiores qui *Glanvilloſ* hoc titulo
olim inclaruisse produnt, sed cum nulla certa ni-
tantur authoritate, quia error obvius, & in pu-
blicis regni tabularijs nihil de illis comperti, do-
nec certius docuerint, ignoscant, si non credide-
ro. Interim tamen *Glanvillorum* familiam in hoc
tractu admodum insignem fuisse agnosco. Nec
ante Regis Edwardi Tertii tempora aliquem ti-
tulo Comitis hujus provinciæ ornatum hæcte-
nus ex testibus fide dignis didici. Ille autem Ro-
bertum de *Vfford*, virum multa domi bellique
gloria, filium Roberti Seneschalli Aulæ Regiæ
sub Edwardo Secundo, è Cecilia de *Valonis* Do-
mina de *Orford*, Suffolcia Comitem dixit. Huic
successit filius Guilielmus, cuius cum quatuor
filii præmatura morte ipsi superstiti prærepti es-
sent, & ipse subitanea morte in Comitiis Parla-
mentariis dum sententiam *Communitatis regni re-*
laturus esset expirasset, Robertusque *V Villoughby*,
Rogerus Dominus de *Scales*, & Henricus de *Ferra-*
rius de Groby propinquiores ejusdem hæredes hæ-
reditatem divisiſſent: Richardus Secundus Mi-
chaëlem *De-la-Pole* è * mercatore ad hunc titu-
lum, & dignitatem Cancellarii Angliae prove-
xit. *Qui mercimoniis magis*, utpote mercator mercatoris
filius, quam militia occupatus, ut habet Tho. Walsin-
gham. Filius enim ille fuit Guil. *De-la-Pole* qui
primus fuit Major *Kingstoni super Hull*, & ob opes
Baneretti dignitate ab Edwardo III ornatus. Sed
quum tot prosperis confluentibus hominis inge-
nium tantæ fortunæ minime capax esset, solum
vertere coactus extorris obiit. Nec nobilitati
hujus derogat mercatura, nobilium enim filios
mercaturæ operam dedisse quis ignorat? Nec
inficiabor illum quamvis mercatorem nobili ge-
nere fuisse ortum. Michaël ejus filius restitutus
genuit Michaëlem prælio Agincortensi cæsum,
& Guilielmum, quem Henricus Sextus ex Suf-
folcia Comite, primum Suffolcia Marchionem
creavit, sibi & hereditibus masculis de corpore suo. Et quod
ipse & heredes de corpore gestent auream virgam in sui
summitate columbam habentem in die coronationis Regum
Anglie, & virgam ejusmodi eburneam in coronatione
Reginarum Anglie. Postea eundem optime meri-
tum ad honorem & titulum Ducis Suffolciae
evexit. Vir sane erat ille magnus, & eximius,
cum pater enim & tres fratres vitam Gallico
bello patriæ fortiter profudissent, ipse, ut habe-
tur in Tabulis Parliamentariis *XXVII* Henrici
Sexti, in eodem bello totos triginta quatuor an-
nos militavit, annos septemdecim continuos è
militia domum non reversus, semel captus, cum
adhuc tantum ex Equestri esset ordine, viginti
millia librarum monetæ nostræ ad se redimen-
dum dependit, Regi fuit à consiliis annos quin-
decim, & Garteriani Ordinis socius annos tri-
ginta. Hinc ut maxima apud principem gratia,
ita ob id majori apud plebem flagravit invidia,
& leviculis de causis, quæ parum liquebant, in
exilium actus, dum Galliam peteret ab adversa-
riis in mari interceptus, securique percussus.
Filium reliquit ille Ioannem, qui Edwardi Quar-

Suffolcia
Duces &
Comites.

*Lelandus
in Com. in
Cygneam
cantio-
nem.

Walsin-
ghamus
pag. 358.
Regist.
Mon. de
Melfa. Vi-
de Hullum
in Comi-
tatu Ebor.